

tio suboriri, de assensu meo et dictorum Abbatis et conventus, per viros venerabiles et religiosos, Nicholaum, priorem sancti Lupi de Esserento, Robertum monachum Compendiensem et dominum Ansoldum de Faiel, mete fuerunt posite, dictos mariscos a villa de Basincort et terris aliisque compositionibus, ad me et homines sive hospites meos pertinentibus, distinguentes. Ut hec igitur futuris temporibus rata permaneant et illibata, presentes litteras fieri feci et sigilli mei munimine roboratas dictis Abbati et conventui tradidi in perpetuum testimonium et munimen. Actum anno gratie M° CC° XXXI°.

Cartul. de Saint-Corneille de Compiègne. Arch. Nat. LL 1623, ch. CCCLXVIII, p. 576.

IF.

Raoul, seigneur de Revetel, reconnaît n'avoir aucun droit de chasse au Bois d'Ageux et au Petit-Raray.

Septembre 1231.

Ego Radulphus Revetiaus, miles, de Houdencort, filius bone memorie Hugonis Revetel, militis, omnibus presentes litteras inspecturis, in Domino salutem. Noverit universitas vestra, quod cum Hugo quasdam consuetudines clamaret in bosco Beate Marie Compend. de Ageu et in ejus territorio, scilicet cercheiam et cacheriam, Abbate et monachis ejusdem Ecclesie hoc negantibus, tandem ego, super his habito consilio et inquisita plenius veritate, intellexi et cognovi me, vel heredes meos, nullam cherchiam, vel chaceriam, sive aliam quamlibet consuetudinem vel justitiam habere in dicto bosco de Ageu vel ejus territorio, nec etiam in territorio in quo fuit nemus, quod antiquitus appellabatur Raray, et pertinet ad domum de Ageu, que est Ecclesie memorate; promittens, fide interposita, quod super his dictam Ecclesiam de cetero non molestabo, et quod plenam garantiam feram eidem Ecclesie contra fratrem meum Petrum, si amdictam Ecclesiam super his molestare voluerit. Quod si aliquis aliud super premissis molestare sepedictam ecclesiam et ad legem et justitiam venire voluerit, legitimam eidem Ecclesie garantiam portabo.

Quod ut ratum in perpetuum permaneant, presentem paginam memorate Ecclesie Compendiensi tradidi sigilli mei munimine

roboratam. Actum anno Domini M^o CC^o XXXI^o mense septembri.

Cartul. de Saint-Corneille de Compiègne. Arch. Nat. LL 1623, ch. CCCLVI, p. 564.

IG.

Emmeline, dame d'Houdencourt, veuve de Renau de Béthisy, bailli du roi, confirme toutes les donations faites à l'abbaye de Chaalis par son mari défunt et par elle.

Mai 1239.

Ego, Emmelina, relicta domini Renaudi, militis de Bestisciaco, quondam ballivi domini regis Francie, notum facio tam presentibus, quam futuris, quod omnes elemosinas, quas ego et dictus Renaudus, quondam maritus meus, fecimus Ecclesie beate Marie Karoliloci (1), in vineis, alnetis, censibus, torcularibus, volui, laudavi, et pro remedio anime mee quiete et pacifice in perpetuum possidendas concessi. Preterea dimidium arpentum vinee, site in territorio Bernulii (2), cum tribus quarteriis prati, pro quibus Abbatem et conventum dicte Ecclesie in causam traxeram, salvo censu meo, concessi similiter eidem Ecclesie in perpetuum possidendum. Quod ut ratum et stabile perseveret, presentes litteras inde factas sigilli mei munimine tradidi roboratas.

Datum anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo nono, mense maio.

Scellé d'un sceau ovale en cire verte sur double queue de parchemin ; ce sceau représente une dame debout, tenant de la main droite une fleur de lys, et appuyant la gauche sur sa poitrine. La légende porte : † S. EMMELINE DOMINE DE HOUDENCOURT. Sans contre-scel.

Arch. de Chaalis, Brenouille, cote 9. D. — Afforty, Collect. Silvan., t. XV, p. 890.

(1) Abbaye de Chaalis, commune de Fontaine-les-Corps-Nuds, canton de Nanteuil-le-Haudouin.

(2) Brenouille, canton de Liancourt.